



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118537

§. 9. Pontificis opinio Cardinalium atque Episcoporum iudicio consona.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

Sæcul. XVI
A.C. 1550. post maturas deliberationes unanimi suffragio in id conventum est: quoniam Cæsaris petitio specioso innititur obtentui, quo ipse Germaniam ad Sedis Apostolicæ obsequium redire, ac Religionem Catholicam revocare peroptat, sine populi offensione ejus precibus repulsa dari nequit, quinimo Tridentinæ Synodi restorationem denegare perinde esse videtur, ac si tacite declararetur, quod illius dissolutio in animo habeatur: igitur Cæsaris precibus benignas omnino aures esse accommodandas decernebatur. Hæc Patrum sententia ipsi etiam Pontifici magis expedita videbatur ad declinandas omnes molestias, quas forte Imperator eidem inferre potuisset, aliunde vero, si Synodum Bononiæ congregare voluisset, prius translationis causam a Paulo III. ad suum Tribunal evocatam decidere oportuisset, cum tamen id sollicitè præcavendum esset.

§. IX.

*Pontificis opinio Cardinalium, atque
Episcoporum judicio consona.*

Pallav. l. 11. c. 8 n. 5. & 6. Priusquam Pontifex suum animi propositum palam faceret, Cardinales unacum nonnullis Episcopis potissimum Cæsareis, aliisque sibi addictis con-

convocans (*), eisdem Cæsaris postulata proposuit, cunctisque injunxit, ut libere edicerent, quicquid suæ conscientiae testimonio ad Dei gloriam, fidei, Sedisque Apostolicæ emolumentum magis conducere existimarent, si vero Cæsaris postulata acceptare, congruum fore censerent: simul etiam media ad id secure, ac honorifice exequendum opportuna proponere jubebantur. Ad hæc rursus omnes, prout in prima Congregatione, judicabant, Synodum a Papa esse continuandam, cum id non modo in sacris Comitibus, sed etiam post suam electionem spondidisset: „ hac enim ratione, inquiebant, Cæsari satisfacere, ac Germanis omnem querendam ansam præripere valerent. „ Placuit hoc consilium ipsi etiam Pontifici, qui postmodum de ipsius quoque Galliarum Regis beneplacito certior fieri peroptabat, ut & ipse Regni sui Episcopos eo decerneret, hocque modo ipsi Concilio omnis auctoritas eidem necessaria accederet,

(*) Forte oblitus est Continuator, quod Pallavicinus ex monumentis omni fide dignis Paulum Sarpium loc. cit. num. 1. falsitatis convincat, eoquod hanc Congregationem non nisi ex Prælatibus Cæsaris, ac Papæ studio sit conflatam somniaverit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1550.

Sæcul. XVI. ret, ac pro Synodo Oecumenica haberi
A.C. 1550. posset (*).

§. X.

*Sedis Apostolicæ Nuntii ad Cæsarem
 ac Franciæ Regem in Synodi ne-
 gotio decreti.*

Cum nemini ignotum esset, quod Gal-
 liarum Rex multa opponere posset
 obstacula, atque aliunde totis viribus
 adlaboraret, ne Synodus Tridenti ce-
 lebraretur, eoquod hæc urbs Cæsaris
 Imperio esset obnoxia, hinc summus
 Pontifex Guisium Cardinalem rogabat,
 ut Regi Domino suo suggereret, nihil
 Regni Privilegiis, aut Ecclesiæ Gallicanæ
 libertatibus adversum a Synodo sancitum
 iri, quinimo nullum decretum Rege
 prius haud consulto promulgandum.
 Insuper ipsemet Pontifex Regem hac
 de re certum reddebat, missoque ad
 eum Cursore significabat, quod ad il-
 lum quantocius Sedis Apostolicæ Nun-
 tium decreturus esset, a quo Papæ ra-
 tiones

(*) An ex unius Nationis Episcoporum
 absentia desit auctoritas in Conciliis requisita,
 ex illorum vero præsentia primum accedat
 Oecumenicæ Synodi prærogativa, priscorum
 Conciliorum acta declarant.